

hominum uspiam lustra: ullusne dabitur eâ pedum velocitate,
fugientem ut cervum cursu assequatur? ea animi versutia,
Vulpeculis ut superior esse possit? eo lacertorum vigore, la-
terum robore, nervorum firmitate, ut leonem debilitet, fran-
gat, prosternat? Hic nisi arte, quam natura monstravit,
usus docuit, experientia roboravit, agendum esset, ipse homo,
quo animal nec sanctius, nec nobilius, nec præstantius Sol vis-
dit, truculentissimis beluis prædæ ludibrioq; foret. Quanto
verò commodorum cumulo humanus augeatur animus, quis est,
qui nesciat? Nam & hæc Venationum exercitia ad ingenij
aciem aliquid habere creduntur, quibus illud, alioquin disci-
plinarum capax, paulatim perpolitur, ut hominum brutorumq;
insidias penitus nosse, promptius observare, feliciter evitare
convescat. Addo quod homines feras investigando locorum
notitiam pleniorē acquirant, dum earum ductu eò sæpe defe-
runtur, quò ne cogitatione quidem penetrare potuissent. Non
exiguam verò, penè dixerim, uberiores virtutum, quàm fe-
rina prædæ cumulum cōcervant. Nam quæ otio inimica est
prudentia laborum assiduitate (quasi vocata) ultrò accelerat,
suaq; præsentia animam mirè excolit & elaborat, delitiarum
genus omne quàm longissimè propulsans. Neq; enim saltua-
ry grabato caput inclinant, sed in gramine se prosternunt,
non plumis sed plantis pro culcitrâ utentes, sub Fove frigido,
(Lyrici vox est) non lacunari picto somnum capiunt: sub prio-
mam auroram evigilare, strenuum est: in multam lucem stertere